



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Prolegomena sex, & duos priores libros De Necessitate Divinæ
Gratiæ Ad Honesta Opera

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1620

Prooemium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94086](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94086)



T R A C T A T V S

DE GRATIA DEI,

SEV DE DEO SALVATORE,

IUSTIFICATORE, ET LIBERI

arbitrij adiutore per gratiam
suam.

PROOEMIUM.

IN superiori opere, quod de Legibus, ac Deo legislatore inscripsimus, salutem hominis, & operum eius honestatem, ac bonum meritum ex duobus principiis pendere diximus, lege nimirum, ac gratia; illa ut regula, qua instrui mur, hac ut virtute, qua iuuamur. Et ideo D. Thomæ vestigia sequendo, superiori operi hoc proxime annectimus. In illo enim, explicatis cæteris legibus, tandem ad legem gratiæ, quæ perfectio, & consummatio legum omnium est, peruenimus: quam excellentiam ab ipsa gratia participat, quia legis notitia, nisi virtute gratiæ iuuetur, parum prodesse, imo vero ad beatitudinem consequendam multum obesse potuisset. Nam ut Paulus dixit ad Romanos cap. 7. *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces: occasione autem accepta mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam*, quia nimirum iubebat, & non iuuabat ad vincendas concupiscentias, quod sola gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum præstare potest. Conuenientissimo igitur ordine hic tractatus præcedenti succedit, & veluti eius complementum existit.

1. Similem autem tractationem inchoans D. Th. in sua prima secundæ q. 109. illam sic inscripsit. *De exteriori principio humanorum actuum, scilicet gratia Dei*: quem titulum aliqui ex modernis scriptoribus mendosum esse existimant, quia gratia Dei non est principium extrinsecum humanorum actuum, ut existimauit Pelagius ponens gratiam in sola lege, & doctrina; sed est principium intrinsecum, quod Spiritus Sanctus inspirat, & mentibus, ac cordibus nostris infundit. Antiquiores vero expositores neq; in verbis mutationem fecerunt, neq; mendum aliquod adnotarunt. Solus Conradus in principio quæst. 90. & 109. aduertit, & legem aliquam esse in corde, & mentibus scriptam, & gratiam intus in animam infundi, & nihilominus, quia proueniunt à principio extrinseco, quod est Deus, ideo vtrumq; tractatum de legibus, & gratia, de principiis extrinsecis appellari. Et fortasse breuitatis causa posita est in illo titulo particula illa, scilicet gratia Dei, quia statim in capite quæstionis latius erat explicanda his verbis. *Consequenter considerandum est de exteriori principio humanorum actuum, scilicet de Deo, prout ab ipso per gratiam adiuuamur ad recte agendum, & in capite q. 90. dixerat D. Th. Principium extrinsecus mouens ad bonum est Deus, qui nos instruit per legem, & iuuat per gratiam.* Si ergo fortasse gratiam Dei in illo titulo exteriorius principium appellauit D. Th. non ideo fuit, quia gratia non sit principium interne nos iuuans, quod postea in tota doctrina luculentissime docet, sed quasi per denominationem extrinsecam, quia extrinsecus aduenit, & quia est veluti instrumentum principalis agentis extrinseci: sicut potest impetus lapidi proiecto immixtus principium extrinsecum talis motus appellari: non enim est inusitata locutio. Ut tamen omnino à Pelagianis fugiamus, Deum extrinsecum principium, seu motorem, vel adiutorem ad opera gratiæ, gratiam vero, per quam nos iuuat, internum principium earundem operationum appellabimus: quamuis enim (ut videbimus) inter gratias aliquæ sint extrinsecæ; nihilominus quæ propriissimè, & quasi per antonomasiam, inter creata dona gratiæ appellantur, nobis intrinsecus inhaerent, & vel sunt opera, vel aliquo modo operationum principia, ut videbimus.

3. Ad tollendam ergo hanc vocum ambiguitatem, vtrumq; in nostra inscriptione, & titulo expresse posuimus, Deum scilicet sanctificatorem, & gratiam eius. Quibus etiam verbis proprium huius doctrinæ obiectum, seu materiam, circa quam versatur, connexionem cum alijs Theologiæ partibus, & dignitatem, ac excellentiam eius indicauimus. Cum enim hæc doctrina sit pars vnius scientiæ Theologiæ, cuius adæquatam obiectum est Deus, illum vè

præci-

præcipuum obiectum, & quasi proximum finem respicere, necesse est, & quia non attingit illum secundum absolutam rationem, sed secundum respectum quendam ad creaturas, illum nomine sanctificatoris explicamus. Illa enim voce respectus primi, & principalis principij in supernaturali rerum ordine significatur. Et ita distinguitur hæc pars Theologiæ à cæteris, in quibus Deus vel secundum se ut vnus, aut trinus, vel sub respectu creatoris, & gubernatoris vniuersi, vel ut vltimus finis, vel ut legislator consideratur, ut facile vnusquisque per se poterit contemplari. Solum in nomine, *Sanctificatoris*, cauenda est æquiuocatio, si cum nomine, *Redemptoris*, confundatur. Hæc enim nomina proprie sumpta diuersis rationibus Deo conueniunt: nam esse sanctificatorem ad Deum, ut Deus est, esse vero redemptorem ad ipsum, ut Deus homo est, spectat. Vnde sanctificatorem esse, commune est tribus personis, esse vero redemptorem, proprium incarnati Verbi. Illud etiam non solis hominibus, sed etiam Angelis; hoc vero solis hominibus, & non in omni statu, sed tantum naturæ lapsæ Deus exhibet. In præsentem ergo solum spectatur Deus ut sanctificator, i. e. principalis auctor sanctitatis, gratiæ, reliquorumque donorum, quibus intellectualem creaturam ad se tanquam ad vltimum supernaturalem finem conuertit, atque perducit. Contemplatio autem Dei, ut Redemptoris, ad vltimam Theologiæ partem spectat, ex qua solum nunc sumimus, ac supponimus, omnem gratiam Dei ex meritis Christi Domini nobis conferri, & sub eo respectu esse etiam gratiam Christi, ut paulo post videbimus.

4. Addidimus vero in illo titulo alteram particulam, *de gratia Dei*, tum ut à communi, magisque vsitata inscriptione non discreparemus; tum etiam, quia per illum proxima materia, circa quam hæc doctrina versatur, innotescit. Gratia namque, & eius collatio est veluti fundamentum illius respectus, à quo Deus extrinsece denominatur sanctificator, ideoque cognita ipsa gratia, Deus sub ratione sanctificatoris cognoscitur, neque aliter cognosci, aut explicari potest. Ex quo facile intelligi potest, quam sit excellens, quamque propria Theologici instituti hæc doctrina. Primo quidem quia hæc gratia supernaturale donum est, quod, nisi per diuinum lumen fidei, cognosci non potest. Deinde quia semen est gloriæ, & fons aque viue salientis in vitam æternam, quam homines infirmi, & imbecilles, nisi per diuinæ gratiæ virtutem comparare non valent. Denique quia ipsius Dei cognitio, quam Theologia præcipue intendit, per hanc gratiæ doctrinam magna ex parte perficitur. Vnum enim ex præcipuis Dei operibus est, homines gratis, & per gratiam suam iustificare, teste Paulo ad Romanos. 3. & ideo solus ipse sanctificator, & iustificator hominum appellatur, quia sicut solus potest homines beatos efficere, ita etiam solus potest eosdem sibi gratos reddere, iuxta illud *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*. Vnde etiam fit, ut per diuinæ gratiæ cognitionem vniuersa fere Dei attributa mirum in modum illustrentur. Deus enim gratiam suam gratis donando, liberalitatem suam infinitam excellentiori modo, quam per alia opera manifestat: dumque illam, prout vult, distribuit, absolutum se suorum donorum Dominum ostendit, & quoniam non solum amicis, sed etiam inimicis illam donat, eos de peccatoribus faciens sanctos, omnipotentiam suam, ut canit Ecclesia, ac misericordiam, parcendo maxime, & miserando manifestat. Ac denique dum per gratiam suam humanæ voluntati dominatur, eiusque saluæ libertate, quo vult, efficacissime pertrahit, summam sapientiam suam, ac potentissimam voluntatem notissimam facit.

5. Atque ex hoc obiecto, & materia habet in primis hæc doctrina in Theologia singularem dignitatis gradum, quoniam & Deum sub excellenti quadam ratione primi principij, & benefactoris hominum contemplatur, & in explicatione illius doni, quo diuinæ naturæ, diuinarumque virtutum participes efficimur, potissimum versatur. Et hinc magnam etiam utilitatem habet, ostendit enim nobis adipiscendæ beatitudinis viam, simulque infirmitatis nostræ nos monet, & ad diuinum auxilium continuis precibus postulandum inducit. Est etiam Catholico Doctore hæc doctrina maxime necessaria ad resistendum hæreticis, qui innumeris erroribus, & obiectionibus veritatem catholicam obscurare, & euertere conati sunt. Atque hinc tandem difficilis valde, & scopulis plena est præsens disputatio, tum quia in rebus maxime diuinis, & spiritualibus, & internis, quæ sub experimentum vix cadunt, internoscendis versatur: tum quia gratiæ efficacitatem, & necessariam cum libertate arbitrij compositionem, & concordiam inquirat, quod semper arduum, & difficile iudicatum est. Nam, ut dixit

Libr. 2. de Augustinus, *Ipsa etiam ratio, quæ de his rebus à talibus, quales nos sumus, miri potest, quemlibet nostrum Pec. me- quærenssem vehementer angustat, ne sic defendamus gratiam, ut liberum arbitrium anferre videamur; rurrit. cap. 18. sus liberum ne sic asseramus arbitrium, ut superba impietate ingrati Dei gratiæ inducemur.* Quæ quidem obscuritas, & difficultas mirum in modum aucta est, non solum ex varijs, & extreme contrarijs hæreticorum erroribus, sed etiam ex concertationibus inter Catholicos subortis: nam licet omnes media, ac regia via incedere nitantur, quia tamen illam arctam, & angustam hæretici reddiderunt, vix possunt iter peragere, quin ad dexteram, vel ad sinistram declinare videantur.

Et

6. Et hinc orta est hoc tempore celebris illa controuersia, quæ à viribus liberi arbitrij & diuinis auxilijs nomen obtinuit. De qualicet in alijs libris iam antea multa disputatum; in hoc vltimam ei manum imponere decreui. tum quia à disputatione de gratia separari non potest, tum etiam quia post liberos illos editos multi doctissimi viri illorum doctrinam euertere, contrariamq; modis omnibus persuadere conati sunt. Quorum præcipua scripta attentè perlegi nullo profecto contradicendi studio, sed summo veritatis intelligendæ desiderio: nihil tamen inueni, quod vel à priori sententia nos posset dimouere, vel difficultatibus nostris satisfaceret, aut modum expeditum ad innumeros vitandos labyrinthos; & nodos nobis inextricabiles dissoluendos inueni. Quam ob causam iterum eandem disputationem aggredi, & pro viribus difficultates omnes expendere decreui. Vnde fieri non poterit, quin opus hoc fortasse plus iusto crescat. Vt tamen lectori minus sit onerosum, illud in duas præcipuas partes diuidemus. Prior erit de controuersijs huius temporis circa vires liberi arbitrij, & auxilia gratiæ, quibus ad bene operandum iuuatur, ideoque pars hæc de actuali gratia inscribi poterit. Altera pars erit de gratia habituali, & causis, ac effectibus eius, sub quibus iustificatio, & meritum comprehenduntur. Atq; ita in hac doctrina tradenda nihil, vel parum à D. Thomæ ordine, seu methodo discedemus, nam in priori parte cum infirmitate arbitrij necessitatem gratiæ, de qua D. Th. q. 109. disputat, ostendemus; explicando vero auxilia gratiæ nonnullas diuisiones eius, quas D. Th. q. 111. tradit, & alias, quæ à Theologis adduntur, pertractabimus. In altera vero cætera, quæ D. Thomas in alijs quæstionibus disputat, eodem fere ordine locupletabimus.

7. Prius vero quam vtramq; partem aggrediamur, vt clarior, & expeditior sit doctrina, nonnulla prolegomena præmittenda duximus, quibus & termini sine ambiguitate exponantur, & nonnulla necessaria fundamenta iaciantur. In primo itaq; de natura, & libero arbitrio, quod est gratiæ fundamentum, præcipua quædam principia, & in primis necessaria præmittemus. Et quoniam præcipuæ difficultates circa vsum libertatis ex necessitate gratiæ, vel motionis diuinæ oriuntur, & hæc pendent ex modo præscientiæ, quam Deus habet de futuro consensu liberi arbitrij, ideo secundum prolegomenum de præscientia Dei liberorum actuum sub conditione futurorum præmittemus: nam per occasionem huius concordæ gratiæ cum libero arbitrio contentio de hac præscientia orta est, in qua necessarium nobis est, sententiam nostram præmittere, ac fundare, ne postea necessarium sit, vel ad aliam disputationem digredi, aut ex fundamento non probato, ac defenso sæpissime loqui. Deinde vero tertio loco vsum nominis, *Gratia*, & varia membra, seu significata illius exponemus, vt quædam gratias vel faciliores, vel præsentī instituto minus conuenientes breuiter expediamus: aliarum vero, de quibus tractandum est, nomina in promptu sint, vt sine verborum ambiguitatibus, peruia sit disputatio.

8. Quarto vero loco quoniam humana natura in diuersis statibus inueniri potest, in quibus non easdem vires habet, ideo consequenter varios status humanæ naturæ, eiusque liberi arbitrij exponemus. In quinto vero errores omnes, qui in hac materia fuerunt, accurate referemus, quia eorum notitiam non solum ad illos cauendos, & impugnandos, sed etiam ad intelligenda Concilia, & Patres, necessariam esse existimamus: quia cum Concilia, & Patres ad extirpandos illos errores in sensu illis contrario loquuti fuerint, sæpe fit, vt ex ignorance ipsorum errorum, sententiæ Patrum ad peregrinos sensus, & ab illis non intentos detorqueantur. Vnde tandem in sexto prolegomeno Pontificum, Conciliorum, & Patrum auctoritatem, qua potissimum in hoc opere nobis vtendum est, proponemus. In toto vero hoc opere ab omni exaggeratione in nostris sententijs affirmandis, & ab omni censura in contrarijs reijciendis abstinēbimus. Quia vero in probationibus ex Conciliorum definitionibus, vel per illationem ad incommodum, videri possunt contrariæ sententiæ, vel vt definitionibus Conciliorum contrariæ, vel vt dogmata, ex quibus errores contra fidem sequuntur, reprehendi, lectorem monemus, id longe à nobis esse, id enim non vt censura, vel iudicium de qua-

litate, & gradu falsitatis contrariæ sententiæ accipiendum est, sed solum per modum argumentationis, cuius vis sæpe non potest aliter explicari.

INDEX